

[1616?]

A

SCHREIBEN DER V KATH. ORTE AN DEN PAPST, [PAUL V.]

s. Zurlaubiana AH 15/171

Da der in AH 15/171 vorliegende Text¹ nur fragmentarisch und oft auch falsch wiedergegeben ist, wird dieser hier zusätzlich in der Originalversion publiziert:

"Quaquam Sanctitatem Vestram gravissimis negotiis pro universali Dei Ecclesia invigilantem illibenter admodum Jnterturbamus: Cogit tamen nos Et pietas Et Maiorum nostrorum Exemplum Et praesens Republicae nostrae necessitas. Pius est qui parentes suos adiutos cupit nec importunus Censendus, quamquam pro eorum salute saepe Et Vehementer deprecet. Mater nostra est Constantiensis Ecclesia [das Bistum Konstanz gemeint], in qua Et per quam secundum Spiritum genitj Sumus. Ergo ei debemus plus honoris, amoris, Et officij, quã Spiritus praestantior carne est. Officium autem hoc nostrum in eo Existere Existimamus, ut Laborantj auxiliatricem manum pro viribus porrigamus, aut ubi per nos non possumus, ibi opem pettamus ab eo qui potest.

*Accedit ad hanc obligationem nostra Communis seu utilitas seu necessitas, quam non inani persuasione, sed verissimis Et miserabilibus ob oculos quotidie versantibus Exemplis adductj non possumus non seu sperare seu formidare. Aspicimus enim vicinos Episcopatus Sedunensem, Lausannensem Et Curiensem eas in angustias reductas, ut vix nomen retineant, viribus opibusque omnibus pene amissis. Ea autem horum Caeterorumque Episcopatum Conditio est, ut Ruina sua simul Et Relligionem, et Remp.^m Ecclesiasticam nec raro etiam Civilem Jnvolvant, Jbi enim Lupi Liberius Latiusque grassantur ubi reperiunt Pastorem Jmbecillem. Accidit quidem vicinis istis Episcopatibus quod Et alijs accidere necesse est, nempe ut Episcopo [- Bischof von Konstanz war damals Jakob **Fugger** -] ad obeundum suum munus viribus destituito Laxetur primo disciplina inter Ecclesiasticos Cultus divinus peragatur segniter. Deinde refrigescat Zelus populi, paulatim incipiant patere aures novis doctrinis quarum plena sunt omnia, Jnde negligatur ac poenitus abiiciatur avita fides quibus malis aut avertendis, aut Expellendis Episcopus Sufficere non potest si ipse virium parum Habeat. Aliquando etiam multitudinis tanta pervicacia est, et violentia, ut ei Compescendae secularis potestas, sola non sufficiat, quae sine dubio plus posset polleretque praesertim in Fidei, Et Ecclesiae causis, quando simul Ecclesiastici magistratus*

nervus accederet, unam enim alteri coniunctam potestatem plus efficere quam Singulas seorsim per se patet. Quare cum Relligionis Conservatio Et amplificatio etiam in hoc consistat, ut Episcopus non modo velit munus suum facere, sed etiam possit, atque in priori quidem nos nihil Desideremus, sollicite tamen Et merito prospicere debemus ut quo ad posterius nihil desit Jnterest enim Reipublicae nostrae et quos subditos habeamus, et quos finitimos: nec nostra modo sed et Contermine Jtaliae Jnterest, an alpes prope quas habitamus, quae Sunt velut portae et Claustra Jtaliae utrum in Catholicorum aut Hereticorum sint manu. Clarius quippe est quam ut longa probatione egeat, quot Veneto aliisque recentibus belli motibus turbae Et difficultates evitatae fuerint. Jdeo Quia Grisones Rheti aliique Alpini Populi à Catholica Fide aversi, Jllis qui contra sedem Apostolicam Jnsurrexerant suppetias aut miserunt aut é Germania venientes transmiserunt. Jdem Et nunc quoque Tranquillitatem Jtaliae non mediocriter turbat, quod futurum nunquam fuisset nisi Expulsa veteri Fide Hareses Jllis in Regionibus successissent, Haereses autem certe non antea Jnvaluerunt, quam enervatis Episcopatibus vires opesque Episcopis ad retinendam Relligionem decesserunt. Exemplo sunt vicini nostri Curiensis, Sedunensis, Et Lausannensis Episcopatus, qui bonis paene omnibus spoliati, vix ad vitam ducendam, nedum ad defendendam vel restaurandam veram fidem Satis Habent. Jdipsum ne Constantiensi Episcopatui accidat valde metuendum, ac proinde tempestive succurrendum, ut ne denique malo Jnvallescente frustra medicina paret! Nunc quidem certo certius est Episcopatum hunc amplissimum quidem nobilissimum et antiquissimum hoc maxime pilero niti quod ad onera eius sustinenda Dominus Episcopus quotannis plura aureorum millia de Suo patrimonio conferat sine quo Subsidio annui census qui ad multa aureorum accedunt, neque solus neque tot et tam diversis Regionibus Helvetiâ nempe Sueviâ, Alsatiâ atque Brisgoviâ Episcopalis functio obiri, Jurisdictio exerceri, Clerus et Relligio adversus tot tam varios tamque potentes impugnatores defendi posset, ut taceant! Jura illa et onera quâ Episcopo tamquam Principi saeculari sustinenda incumbunt, quibus Certe omnibus Episcopalis Mensae proventus sufficere nequeunt alioqui Dominum Episcopum patrimonium Suum impendere opus non foret. Atque in hac re quidquam Sanctitati Vestrae minus comperitum obstruderemus Voluimus officiales omnes, qui praefecturas [=Herrschaften] Episcopatus in nostra ditione [d.h. v.a. im Thurgau und der Grafschaft Baden] administrant Convocatos sub fide Juramenti Examinare, quorum testimoniis edocti Jam certius pleniusque Sumus Episcopales redditus neutiquam tales esse, quanti forsitan ab alijs accepti tantum Et non expensi rationem habentibus depredicati fuerunt. Js profecto est status Matricis nostrae Constantiensis Ecclesiae, seu dignitas seu amplitudo, seu vetustas spectetur ut omni Commiseratione atque subsidio dignissima sit. Jllae deinde causae

sunt, ob quas, neque nos Episcopatum hunc negligere possimus, neque Sedes Apostolica periclitanti manum adiutricem subtrahere debeat. Habemus enim utrinque praeclarissima Maiorum nostrorum exempla quae nos extimulent, nam et in Archiviis nostris [so u.a. beim Vorort Luzern gemeint] scriptum extat quoties Catholici Helvetii causam Episcopatus Constantiensis Apostolicae Sedi commendaverint, et quoties commendationes istas Optimi Maximi Pontifices minime surdis auribus exceperint, sed re ipsa testati sint et deprecationem nostram, iustam, ac piam, Et salutem Episcopatus huius sibi curae, ac cordi fuisse: ita ut iam a plurimis annis usque ad Hodiernum nullus prope fuerit Constantiae Episcopus in quem Apostolica Sedes non aliquid Singulare paterni sui amoris ac beneficentiae pignus contulerit.

Mala quae Episcopatum promunt neque nova sunt nec proinde ex aliqua Domini Episcopi Culpa orta sed iam olim Deplorata, subinde á Sanctitatis Vestrae praedecessoribus Sanata semper tamen repullularunt, quia radix non extirpata id est debitorum annue recurrentium vis Et gravitas quae velut tabes aut ulcus Episcopatum lente Exedit non poenitus compressa fuit. extat Exemplar Bullae **Sixti IV.**ⁱ [vom Jahre 1483 zu Gunsten von Bischof Otto von **Sonnenberg**]² Jtemque aliud Bullae **Innocentii VIII.**ⁱ [vom Jahre 1491 zu Gunsten von Bischof Thomas **Berlower**]³ quibus laudatissimi Pontifices nonmodo calamitatibus Luculentum Testimonium Sed etiam subsidium praebuerunt. Sixtus enim, cum (sunt verba Bullae) spes non esset quod ex fructibus Mensae Episcopalis debita possent dissolvi plenarias Indulgentias concessit illis qui Eleemosinas suas ad debitorum illorum dissolutionem Conferrent, neque hac gratia contentus in super omnium in Diocoesi Constantiensi [so u.a. in den eidg. Orten gemeint] vacantium beneficiorum fructus primo anno obvenientes per totos octo annos Episcopo attribuit: Ac propterea [Bischof] Thomae [Berlower] qui tunc eam regebat Ecclesiam hanc gratiam fecit ut praeposituram Constantiensem cum Episcopatu ad vitae dies retineret, cui Thomae ob compertam nimirum Episcopatus paupertatem Sedes Apostolica, annatas etiam aliasque Confirmationis impensas Liberaliter remisit, quae gratia aliis quoque Episcopis saepius facta, aut certe ipsis integrum, fuit ob Annatarum causam Subsidium caritativum a clero Diocoesano exigere. Sicut etiam ob debitorum causam Episcopis a Sede Apostolica crebrius indultum ut simul et Praepositurâ Constantiensi uti frui possent ... [quem ad modum?] eam post Thomam etiam Balthasar [**Märklin**] Episcopus [von Konstanz - im Amt von 1530 bis 1531 -] quo ad vixit habuit; Et recens ac Laudabile est Episcopi Bambergensis [Johann Gottfried von **Aschhausen**] exemplum, cui opulentum Licet Episcopatum possidenti Vestra Sanctitas ob debitorum causam etiam In alia Ecclesia Herbipolensi nimirum dictissimam praeposituram [Haug?] dedit; quo iustius

est membrum florens capiti Suo male Habenti Succurrere. Ceterum Sixti IV. Successor Jnnocentius Papa non modo Jndulgentias in forma Jubilaei concessit illis qui pecunia sua aes alienum Episcopatus Leva-
rent, Sed etiam Episcopo Sixti gratiâ de primis fructibus omnium Suae Diocoesis beneficiorum Mensa Episcopali applicandis, in aliud Octennium propagavit. Causa Beneficentiae huius in Bullae Exordio legitur. Quia Constantiensis Ecclesia, quae illis in partibus tam propter latam et amplam eius Diocesim tum et maxime nobilitatem Principum et aliarum nobilium personarum, quae illi sunt subiectae, et sub sua dominia tenet, tum etiam aliis quam plurimis de causis[!] admodum insignis Existit tanto debitorum onere sit gravata ac tot Oppida, Castra, villae, terrae, praedia decimae, et Jurisdictiones ad Jllam legitime spectantes, et spectantia retroactis temporibus diversis personis fuerint obligata hypothecata et Jmpignorata ipsaque Ecclesia tot et tantis damnis et Jncommodis variis de Causis sit affecta ut nisi aliquod à [Jesu] **Christi** fidelibus suscipiat relevamen versimiliter brevis sit Formidandem de totali ipsius desolatione, et Ruina, et fructuum, reddituum ac proventuum mensae Episcopalis illius ad nihilum reductione. etc.

Ne quia optimus Pontifex merito amplitudinem Episcopatus Et nobilitatem Diocoesanorum consideravit eandem etiam nunc Sanctitati Vestrae Consideranda proponimus, Longitudo autem Diocoesis Constantiensis ... [30] milliaria Germanica, Latitudo ... [24], complectitur, deguntque in ea Principes Ecclesiastici ac Saeculares ... [10], Comites et Barones circiter ... [100], et ... [50] Liberae Civitates Et Respublicae Helveticae ... [12], Jmperiales ... [15] numerantur.

Sed ut ad propositum nostra Narratio redeat, quanquam verisimile fiat ista tam multiplici Summorum Pontificum benignitate Episcopatum Constantiensem non nihil sublevatam fuisse: Successerunt tamen Funesta illa tempora quibus haereses passim grassatae regiones nostras Jntestino bello accenderunt [- Anspielung auf die 1525 in Zürich eingeführte Reformation -], Et Ecclesiasticos maxime alicubi presserunt, alios autem ita afflixerunt, ut ad hanc diem sese in pristinum statum restituere non potuerint. Misera quidem tunc Episcopatus sors, Episcopo ac Clero Constantiensi Jn exilium actis, Thesauro Ecclesiae ab haereticis direpto, iis uno verbo perpetratis quae in Catholicos ac maxime clericos victrix haeresis solet, sed ideo tamen foelix Episcopatus sors fuit quod non modo Deo praeclarissimam nobis de adversariis victoriam Largiente multa Ecclesiae recuperata, sed etiam quod paulo post Sedes Romana **Paulum III.** pontificem [von 1534 bis 1549] habuit clementissimum Et alterum velut Episcopatus fundatorem nam Oeningae [=Oehningen] praeposituram [1534] Episcopali mensae perpetuo unirit⁴. Has ob causas quae in bulla eius his verbis

Continetur. Quod scilicet etsi Ecclesia Constantiensis olim propriis facultatibus opulenta, tamen Causantibus succedentium persecutionis fidei temporum sinistris euntibus quibus partes illae afflictatae fuerunt illius facultates adeo tenues effectae fuerint ut Joannes [von **Lupfen**] electus [- dieser übte sein Amt von 1532 bis 1537 aus -] et pro tempore Episcopus Constantiensis ex illis statum suum Juxta Pontificalis dignitatis exigentiam pro ut decet tenere nequeat ac in suorum Jurium ac Regalium conservatione et illorum defensione plurimum impotens reddatur Cum ad huiusmodi Jura tenenda non solum Circumspectio, Industria et Sollicitudo Pontificalis curae, quin imo potius sufficientia facultatum profectum adducant propter quod in ipsa Ecclesia Pontificali dignitatis Debita reverentia minus Exhibetur Etc.

Caeterum quia egestas Episcopatus maior erat quam ut unius praepositurae accessione sublevari posset Jdcirco Joannes Episcopus cum quatuor annos Ecclesiam Constantiensem administrasset neque difficultates eius superare se posse animadverteret (tantae enim erant ut in Litteris suo et capituli communi nomine ad Imperatorem [**Karl V.**] datis diserte scripserit, si sibi census annui exsolvendi, aliaque Episcopatus ordinaria munera et onera supportanda sint plus expendum fore, quam Episcopatu quoque annis proveniat) ubro abdicavit [1537] se Episcopatum, quem pro desperato habitum, cum nemo de Capitulo ambiret aut in rebus tam angustis Episcopalia onere subire auderet. Postulatus novo Exemplo Joannes [VI. von **Weza**] Archiepiscopus Lundensis⁵, nec modo a Paulo III.^o confirmatus [- Bischof von Konstanz von 1538 bis 1548 -], sed etiam sine suo rogatu, sine capituli, aut alterius cuiusquam precibus, motu proprio Pontificis (ut cui nempe Episcopatus miserabilis status antea satis Cognitus erat) hac gratia donatus fuit ut posset plura simul beneficia possidere. Fidei ac testimonii causa subiungimus ipsa Bullae verba. Cum Ecclesia Constantiensis mala Conditione temporum quae ... [aliis?] in partibus successerunt tot debitis gravata et pro differenda eorundem debitorum solutione tot annuis censibus implicata existat, ut dilectus filius Joannes [von Lupfen] ex comitibus de **Lupfen**, olim electus videns se ex fructibus mensae suae Episcopalis Constantiensis sustentari Et debita huiusmodi commode Solvi non posse, eiusdem Ecclesiae regimini et administrationi ad effectum, ut aliquis ex ipsius Ecclesiae Canonicis qui Ecclesiam ipsam sine eiusdem mensae impensae administraret per nos deputaretur, in manibus nostris sponte et Libere cesserit, sperans hoc remedio satisfactioni debitorum contractorum huiusmodi provideri posse. Et demum dilecti filii Capitulum eiusdem Ecclesiae Cognito rei publica quod Ecclesia praedicta his periculosissimis Schismatum temporibus sine vero pastore gubernari non poterat, venerabilem patrem nostrum Joannem [VI. von Weza], Jn

Archiepiscopum Lundensem electum⁵ Jn Episcopatum Constantiensem canonici postulaverint, nosque postulationem huiusmodi admittentes de persona ipsius Joannis eidem Ecclesiae provideremus praeficiendo ipsum illi in Episcopum et Pastorem, Nos timentes ne dictus Joannes Episcopus prout in praefato Joanne electo contigit Ecclesiam praedictam nisi eidem Ecclesiae de aliquo subventionis auxilio provideatur, desolatam relinquere Cogatur volentes praemissis occurrere motu proprio non ad ipsius Joannis Episcopi, aut alterius pro eo nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera Libertate unum, duo, tria, Et tot beneficia Ecclesiastica, cum cura et sine cura, secularia, et quorumvis ordinum regularia quorum omnium Jnsimul fructus, redditus, et proventus, mille florenorum auri Rhenensium secundum Communem existimationem valorem annum non excedant, Jn Ecclesia et Diocoesi Constantiensi existentia, et ad Collationem, provisionem, praesentationem, electionem, institutionem, et quamvis aliam dispositionem eorundem Joannis Episcopi et Capituli Constantiensis necnon quorumcumque aliorum Collatorum et Collatricum secularium et regularium. Jn eiusdem Ecclesia Civitate et Dioecesi aut alibi Consistentum etiam ratione dignitatum, personatum administrationum vel officiorum quae Jn illis obtinent Communiter, vel divisim pertinentia, etiamsi peculiaria; Parochiales Ecclesiae, vel earum perpetuae, vicariae, aut Decanatus vel Archiprespiteratus, Rurales seu ipsius Constantiensis Ecclesiae, non tamen ultra quatuor, Et dummodo Jlle, vel illj ad quos dictorum Canoniatuum et praebendarum Collatio, et dispositio pertinent Expresse non Contradicant, Canonatus praebendae seu vicariae, vel Cappellaniae perpetuae fuerint, et ad beneficia regularia huiusmodi Consueverint, qui per electionem assumi eisque cura Jmmineat animarum, ac tam secularia quam regularia beneficia huiusmodi, Dispositioni Apostolicae specialiter, vel ex quavis causa, etiam de necessitate Exprimenda generaliter, reservata seu ex generali reservatione Apostolica affecta Fuerint vacantia, ad ipsius, aut primo per cessum aut decessum seu quamvis aliam dimissionem, vell amissi[o]nem, aut Jncurrendam privationem illa obtinentium, seu quibus vis aliis modis etiam Commendis cessantibus, si commendata et unionibus dissolutis, si unita fuerint etiamsi Commendae aut uniones huius modj de illis apud sedem Apostolicam vacantibus aut alias specialiter reservatis factae Extiterint etiam in aliquo ex mensibus ordinariis Collatoribus etiam per Constitutiones Apostolicas seu Litteras Alternatarum aut Concordata nationis Germanicae vel alia privilegia et Jndulta Apostolica Concessis hactenus et in posterum concedendis vacatura, cum plenitudine Juris Canonici et omnibus Juribus et pertinentiis suis ex nunc pro ut ex die illorum Vacationis, et é Contra eidem mensae Episcopali Apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo Unimus annectimus

et Jncorporamus. Jta quod si vacant ex nunc alioquin cedentibus vel decedentibus eadem beneficia obtinentibus seu illa alias[?] quomodolibet dimittentibus vel amittentibus vel illis quovis modo etiam in mensibus praedictis vacantibus Liceat eidem Joanni Moderno et pro tempore existenti Episcopo Constantiensi per se vel alium seu alios Corporalem possessionem beneficiorum unitorum Juriumque et pertinentium praedictorum propria autoritate, Libere apprehendere, et perpetuo retinere, illorumque fructus redditus ac proventus in debitorum huiusmodi quamdiu illa duraverint satisfactionem et deinde in suos et dictae Mensae usus et utilitatem Convertere Metropolitanis Loci seu Cuiusvis alterius Licentia super hoc minime requisita decernentes unionem annexionem et Jncorporationem huiusmodi sub quibusvis revocationibus et suspensionibus et derogationibus quarumcunque unionum annexionum et Jncorporationum per nos seu sedem praedictam sub quibus eunque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriorum derogatoriis Et aliis efficacissimis ac praesentibus derogantibus clausulis, Jrritantibusque et aliis decretis pro tempore factis minime comprehendi sed ab aliis semper exceptas et quotiens illas suspendi vel revocari aut illis derogari contigerit toties de novo concesses et Jn pristinum statum restitutas et ad hoc ut sub revocationibus suspensionibus, et derogationibus huiusmodi minime Comprehendantur ex nunc vere et non fecte suum plenarium effectum et non de vacaturis sed de vacantibus beneficiis Factas. Ex per illas ex nunc Joanni moderno et pro tempore existenti Episcopo Constantiensi Jus in re quaesitum existere ac praesentium revocationes suspensiones et derogationes per earundem praesentium novis concessionibus et restitutionibus haberi et censerì debere, sicque per quoscunque Judices et Commissarios quavis autoritate fungentes etiam causarum palatii Apostolici auditores in Romana Cura et extra eam in quavis instantia sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter Judicandi et Jnterpretandi facultate et Autoritate Judicari et definiri debere ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter alligerit Attentari.

Verum tamen tanta erat mali ac praesertim aeris alienis quo premebatur gravitas ut eum ei sublevandae remedia quae diximus a Paulo [III.] Pontifice adhibita lenta nec efficacia satis essent visum fuerit non Jmperatori tantum sed etiam maioribus nostris qui nobilissimum Episcopatum ante oculos suos perire non ferebant Jnsuper de alio ei remedio providere Supplicando nempe Sanctitati Vestrae ut vicinum Augiense Monasterium [d.h. die Reichenau im Jahre 1540]⁶ Episcopali mensae unire vellet quae Patrum nostrorum iusta piaque deprecatio effectu non caruit tanto amore gratiaque Apostolica sedes Nationem nostram prosequeretur ut si etiam amplius quid petivisset repulsam non passura fuisse videretur. Nam etsi quidem Jd impetrasse

quod petebatur magnum et nationi nostrae gloriosum erat Episcopatus tamen Jn pristinum statum restituendo sufficere ideo non potuit quod Jam dudum Augiensis Monasterii res adeo attritae fuerant ut multo minus Commodi Jnde quam sperabatur ad Episcopatum proveniret. Hodiernus quidem Episcopus quia Monasterium ruinam minitans a fundamentis extruere coactus est pluribus annis nihil de eius proventibus perciperet. Attamen Joannes quem ad desperati velut Episcopatus regimen postulatum multisque modis a Paulo III.^o adiutum diximus quia Archiepiscopatum Lundensem aliosque praeterea uberes proventus habebat Episcopatum ita administravit ut eum non quidem ditiozem sed tamen nullis novis debitis oneratum relinqueret. Successit [als Bischof von Konstanz] Christophorus [Metzler von Andelberg - im Amt von 1548 bis 1561 -] cuius crebrae ad Papam Pa[u]lum IV. [im Amt von 1555 bis 1559] de paupertate suae Eccelsiae perscriptae Quaerimoniae in Archivis Romanis reperiri queant, nobis exempla Litterarum aliquot Videre Contigit e quibus excerpta quae sequuntur, vetus recensque verissimum de statu Episcopatus praebent Testimonium. Episcopatus Constantiensis magnificam prae se ferre videtur speciem ob sui magnitudinem sed quanto amplior tanto maioribus Curis et Sumptibus administratur sicque attentantur, proventus Ecclesiae è quibus sumptus sunt illi faciendi nihil aliud cernere Licet, quam ipsammet Paupertatem, Tot namque et tanta Sunt onera huius Ecclesiae, eiusque dominia, arces, opida, pagi, praedia, proventus Sigilli, aliaque Jura adeo impignorata et obligata Sunt ut si annui redditus (quorum ultra decem millia florenorum Rhen: solvendi sunt) Exactiones Jn Bellum Turcicum [- Türkensteuer -]. Jtem in subsidium Caesariae Maestatis Jn Sustentationem Judicii Camerae Jmperialis [in Speyer] quaeque eroganda sunt prae Conservatione pacis et sedandis tumultibus Jmperii ac iis qui Circulares nuncupantur, Et quae a Nuntiis qui non raro ad Helvetios Principes et Civitates necessario mittendi sunt consumuntur, etsi denique officialibus et famulis quibus Ecclesia mea carere non potest eorum salaria numerentur caeteraque onera supportentur vix tantum reliqui mihi remaneat ut ex eo me et familiam quam non ad Pompam sed extrema necessitate coactas habeo praeter omnem Luxum alam Et nisi haec Ecclesia Episcopum habeat qui sit frugi Pater Familias, et qui Cupiat, et qui sciat principem ab Episcopo separare, de illa actum erit.

Et Jnfra precor itaque pater Sancte ut per pauculos ad hoc dies Vite Meae pace Sanctitatis Vestrae et absque cuiusvis impedimento Ecclesia meae tuto praeesse eaque Libere frui Liceat cum illa mihi sit sponsa unice dilecta non quidem ob sui pulchritudinem est et enim ab hoste humani generis non paucis non Contemnendis ha[e]resibus Consumpta nec propter pinguedinem cum omni paene succo ac nedum Carne et sanguine sed ipsis quoque medullis adeo orbata ut non nisi diffi-

culter fulciri Et ab omni modo casu vix sustineri valeat, sed ut eam a Domino Deo mihi traditam eius auxilio fortiter et Jndefessis viribus pro ea Luctando si non omnino sanam ac formosam absque euga et macula saltem remediis et amplastris bono Consilio per me adhibendis aliquantulum robustiorem atque a fatali ruina et Jnteritu Conservatam reddere queam

*Reddidit quidem bonus Episcopus et extrema parcimonia partim etiam patrimonii sui viribus saltem a ruina et Jnteritu Conservavit sed succum floremque pristinum nequiquam Luctatus reducere non valuit Jnopemque uti acceperat sponsam suam reliquit. Non hic longis opus est Testimoniis cum rei a supremo urbis Tribunali Judicatae auctoritate matris nostrae pro qua deprecamur calamitatem comprobare possimus atque idcirco merito Jnde speremus subsidium ubi malum receptis adeo in Judiciis, probationibus, poenitissime cognitum fuit, Extat enim inter novissimas Rotae Romanae decisiones Libro tertio unae ordine DLXXXII e qua perspicuum fit ha[e]redes [des Bischofs] Christophorj Episcopj actionis suae Fundamentum in paupertate Episcopatus posuisse ideoque ad eam Cognoscendam fuisse expeditum Remissoriam, quâ in actis re producta reprehensum est Constare (inquit Decisio) de paupertate Ecclesiae Constantiensis Ergo quod Romae notorium non potest nobis esse obscurum Et Cum obscurum non sit officii nostri ratio et pietas exigit ut Matrisci Ecclesiae pro eo ac possumus opem indigenti feramus nihil enim est quod ab Anno ... [1560] quo ea Decisio Romae Latae ad Episcopatum accesserit ut Jam ditioem posse esse credere possimus quin potius pecuniae in annuos census Expendendae valor adeo auctus, atque per haec turbulenta tempora invalescentibus Haereticis novae difficultates accesserunt ut Episcopi Joannis Georgii [von **Hallwil** - im Amt von 1601 bis 1604 -] quae sequuntur querelas tam necessarias quam veras esse censeamus Etsi enim inter Christophorum et Joannem Georgium duo Cardinales Alt Emphesius [d.h. Mark Sittich II. von **Hohenems** - Bischof von 1561 bis 1589 -] et Austriacus [d.h. **Andreas von Österreich** - im Amt von 1689 bis 1600 -] Episcopatum rexerint tenuitatem eius nec persentiscere satis potuerunt neque cum caeteris Episcopis recte conferentur quia pluribus aliis et optimis beneficii pensionibus et similibus a Sede Apostolica Donati ac plerumque absente multis expensis gratias residentia requirit Caruerunt. Eorum successor Joannes Georgius quem diximus praematura quidem Morte et (quod his regionibus vox Famaque communis fert) curis atque Laboribus pro reparatione Episcopatus frustra insumptis extinctus antea quam molem oneris suscepti plene experiretur, tamen ipso mox in vestibulo sensit neque parcissimam rei familiaris administrationem (quam ipse quidem longe Jnfrâ muneris sui dignitatem instituerat) neque vigilantiam caeterasque bono Episcopo dignas virtutes ad sanandum tam grave et inveteratum Ecclesiae suae*

vulnus sufficere. Ergo velut rebus desperatis alioque auxilio destitutus in id Incubuit ut Annatarum primo remissionem ac deinde Episcopatus bona amplius oppignorandi a Sede Apostolica consequeretur. Laudatissimus certe Episcopus, qui nisi extrema necessitate adigente ad extremum hoc Consilium nunquam devenisset Multo minus Capitulum assentiens Et Coadiu[v?]ans habuisset Extant Supplices eius. Jtemque [1601?] Capituli Constantiensis Litterae ad Jllustrissimos ac Reverendissimos Dominos [Ottavio] Paravicinum [=Paravicini] Cythium [=Cinzio Passeri **Aldobrandini**?] aliosque S.R.E. Cardinales illam ob rem missae quarum has modo a Capitulo scriptas fidei causa Jnserere visum. Non obscuris argumentis experti sumus quanti Jllustrissima ... Celsitudo ... [im Jahre 1604] electum nostrum Principem et Episcopum Constantiensem [Jakob Fugger] faciat quantaque in nos ipsos benevolentia et beneficentia propendeat ut merito nos de tanto nobis apud Sanctissimum Dominum Nostrum patrono gratulemur Causamque nostram eo liberius Jllustrissimae et ... Celsitudini Vestrae pro auxilio explicemus quo hic Episcopatus premitur vehementius. Episcopatus Constantiensis reditus et proventus in vino, et frumento potissimum Consistunt, quorum pretium non est statum sed pro annorum cursu varium Pecunia quae ratione Jurisdictionis Ecclesiae ad novem vel ad summum ... [10'000] florenorum se extendit pro annuis censibus ex-[s]olvendi non sufficit. Etenim Jnjuria temporum et grassantibus haeresibus quarum occasione in ducatu Wirtembergensi [=Württemberg], Helvetià Liberis Jmperii civitatibus aliisque partibus cum Sueviae [=Schwaben] tum Alsaciae [=Elsass] quartae decimationum annatae et alia Jura Episcopalia. Et sic s...ar[?]⁷ redituum pars Camerae Episcopali in perpetuum decedit, Antiquissimus et Amplissimus Episcopatus maximo aere alieno obruj coepit ita ut in annos singulos (extra ... [24'000] florenorum et alia Communia debita) pro annuis duntaxat censibus, ... [11'123] florenos pendere Cogatur. Summa Capitalis quae ad ... [222'664] florenos surgit secundum currens monetae pretium minime redimibilis quod illa incerta specie ac numero Rhenensibus scilicet aureis numeranda quorum singuli tempore contractas novem cruciferis minoris quam nunc sint valoris Et absque novis impen-sis opera scilicet campsorum haberi nequeat, ex his redditibus ac proventibus Episcopatus (ut de summa Capitali taceatur) solutis annuis censibus subtractisque expensis pro eorundem Lectione necessarii vel ... [10'000] vel summum ... [12'000] florenorum Episcopali camerae remanent Jnde maxime adhuc sumptus faciendi pro Legationibus Jmperij, comitijs et deputationibus Conventibus Circularibus [- Anspielung auf die Stellung des Bischofs, hier konkret Fuggers, als Ausschreibender Fürst des Schwäbischen Kreises], Helvetiorum Dietis [u.a. in Baden und Luzern], Judiciis Jmperialis Camerae [in Speyer] nec non contra Turcas contributionibus [=Türkensteuer], Pro Jurium

*Ecclesiae defensione Consiliariorum aliorumque famularum necessariorum stipendiis pro Principum, Baronorum Et Aliorum Imperii procerum Eorumque Legatorum hospitalitate pro Arbonensis [- Arbon war eine Herrschaft des Bistums Konstanz -] et Tigurinae Religionis negotio [- als Gerichtsherr im Thurgau und in der Grafschaft Baden hatte das Bistum Konstanz des öftern auch mit dem daselbst mitreg. neugl. Zürich Glaubensstreitigkeiten auszufechten -] et huius generis aliis quam pluribus quibus sumptibus demptis vix ac ne vix quidem Episcopo ... [2000] equibus vivat. Collegium Patrum Societatis Jesu ac seminarium [in Konstanz] fundet ac edificet Collapsas aedes ac potissimum Augiae [d.h. der Reichenau] maioris restitunt, synodum iam paene a ... [30] annis intermissum cogat, Supersunt. His accedunt Annatae Regalia a Caesarea Ma[i]estate [- als Kaiser amtete damals **Rudolf II.** -] redimenda necnon aliquot annis extantes Imperii Collectae et Contributiones quarum Solutio omnino maturanda nisi maximo damno ... Episcopus fiscales processus poenamque dupli exspectare velit ex quibus omnibus ... Celsitudo Vestra clarissime intelligit Episcopatum Constantiensem ita gravatum ut hosce tam ingentes sumptus minime ferre possit. Quare Illustrissimum ... Celsitudinem Vestram quam possumus instantissime rogatam cupimus, id apud Sanctissimum Dominum Nostrum [Papst **Clemens VIII.**] agat quatenus sua Sanctitas pro paterno affecto quo nos et Episcopatum nostrum prosequitur pro redimendis debitis quae maxime Episcopatum premunt nobis opignorandi eius bona Copiam faciat Tum Annatas Apostolicae Sedis debitas sinon in totum maioris saltem ex parte et Clementissime remittere, et partis non remissae solutionem in tres annos differre digentur ... Reverendissimae celsitudini Vestrae nos una cum Episcopatu Constantiensi unice et serio officiose ac submissee Commendants Datae, Constantia 1.º Martij 1601*

*Quae non movendae tantum Commiserationis Ergo (quis enim non malit dives quam obaeratus videri?) sed necessitatis praesentis impulsu scripta fuisse inde aparuit, quod brevi tempore quo Joannes Georgius [von Hallwil] Episcopatum parce Laudabiliterque rexit [- dies war von 1601 bis 1604 der Fall -] aliquot millium aureorum debita Contraxit, Et quantum accepimus a Domino Nuntio Apostolico [bei den kath. Orten, Giovanni della **Torre**] tunc temporis apud nos residenti exactum Episcopatum proventuum itemque expensarum descriptionem subductis accurate accepti expensique rationibus transmisit quibus ea ad Inopia Episcopatus Romam fuerant proscripita, ad oculum comprobaret. Jta ergo affectum et debitorum pondere oppressum Episcopatum Domino Jacobus ex Illustrissimi Fuggorum familia accepit qui fratrum suorum [Marx und Christoph **Fugger**] ope & opibus adiutus debita praedecessoris exsolvit, Et Amplissimi sui patrimonii adminiculo molem fatiscientis huius Ecclesiae ita quidem hactenus sustinuit ut ne corrueret sed ex praeteritis ac praesentibus casibus futurorum eventa*

haud vana sollicitudine prospiciens saepe numero apud nos conquestus est prope diem se ferendis oneribus sui Episcopatus non futurum opem proinde nostram a maioribus nostris matricae Ecclesiae non semel Ferro ea lamoque feliciter meritoque Latam, Jn tempore et dum Remedii adhuc spes est iustis atque assiduis precibus efflagitans, Non potuimus ergo nec Communi Saluti neque officio nostro (de quibus initio scripsimus deesse et Jdcirco Binis nuper Litteris commendavimus Causam non Episcopi sed Episcopatus Quod nostrum studium ac Zelum quia Sanctitas Vestra responsorio suo brevi approbavit et Laudavit non malle facturos nos arbitrati Sumus si Sanctitati Vestra gravissimis negotiis occupata per Communem Legatum [der V kath. Orte zum Heiligen Stuhl?]) supplicationem nostram in memoriam revocaremus ac quia de presenti Episcopatus statu varia et Jncerta spargi adiuvimus Jdcirco instituto officialium examine de quo dictum est supra, dedimus operam ut rem certius cognosceremus et quia non ita pridem nacti sumus exemplar Epistolae a Venerabili Capitulo Constantiensi ad Sanctitati Vestrae Nuntium [Ludovico di Sarego] apud nos agentem de statu Ecclesiae huius diligenter Conscriptae ut omni suspicione nimii affectus nos Liberemus proferimus ipsius Capituli Testimonium, Episcopatus miseriam per Nuntium apud Sanctitatem Vestram deplorantis Cuius inter caetera haec verba sunt. Jd ipsum de moderno ... Reverendissimo Domino Jacobo Episcopo ac Domino nostro constat qui nisi peramplo Patrimonii sui adminiculo certe dignitatem Principis quidem in Suevia primis, itemque Episcopi munus tot tantisque sumptibus in hac temporum difficultate nequ[a]quam sustinere potuisset Verum tamen quia haec nostro Episcopatus de successoribus adminicula polliceri non possumus, in illud cura et Cogitatione nostra debemus Jncumbere, quomodo Episcopatum non alienis sed suis proprie fulcris ac Viribus fulciamus, quod nisi imminuto aeris alieni pondere non modo fieri desperamus sed etiam maturo consilio deliberationeque adhibita adeo periculoso in statu Episcopatum esse deprehendimus ut vel in unius anni Jnfortunio ruina atque interitus eius videatur Consistere Cum enim uti diximus et probare possumus census annui creditoribus praesolvendi tanti tamque graves sint ut post eorum dissolutionem parum admodum ad vitam Episcopo pro Honestate dignitatis suae transigendam reliquum sit, quid futurum putamus si (quod Deus avertat) Episcopales proventus uno anno cessare contigat ita ut tunc neque census praestari possint sed in sequenti anno duplices solvi necesse sit? Quibus certe solvendis Mensa Episcopalis nequit sufficere. Quare tunc alteratrum accidere oportet ut aut Episcopatus novis debitis gravetur et antequam se uno nexu expediat altero implicetur aut ut Creditoribus Hypothecas suas persequentibus bona Episcopatus Jnsolutum dari debeat. Quod non modo Ecclesiae nostrae exitiale sed vel ob id etiam summe vitandum esse ne bona Episcopatus

in Haereticorum [- im Falle der eidg. Orte die neugl. Orte gemeint -] (quales sunt multi et maxime Importuni creditores) deveniant potestatem, quam autem facile possit Contingere ut Cessantibus uno anno mensae Episcopalis fructibus neque census quidem solvi possint, vel hinc liceat Colligere quod fructus Jn vino ac frumento praecipue consistunt quos utrosque irato Deo unica coeli Jn clementia (ut superioris proximo paene accidit) potest corrumpere atque ita Episcopatum in insuperabiles praecipitare angustias. Quanquam vero uti dictum tenues admodum et fluxi et Jncerti sint redditus Episcopales, Expensae tamen nonmodo certae (ut de sollutione annuorum censuum scripsimus) sed etiam multae ac graves et profecto soli Episcopali Mensae insuportabiles sunt. Nam ut taceamus Episcopum nostrum Jmperii principem et Circuli Suevici primatem esse (quae certe dignitas Ecclesiastico tributam ad Totius Catholicae Ecclesiae dignitatem facere videtur sed sine sumptu conservari non potest) Episcopatus per se ipse et solus Jncredibile quantis expensis gravetur, quin enim per haec postrema tempora decrescente hominum Zelo et Jnvallescente malitia Jura et Jurisdictio Ecclesiastica iam omnibus poene in locis oppugnantur, é Contra Episcopalia Commoda, decimae, nimirum primifructus annatae et similia in dies magis decedunt. Jllustrissimae ... Dominationi vestrae Considerandum relinquimus, quam grave sit Episcopatui Et Jura Jurisdictionemque Ecclesiasticam contra tot et tam potentes impugnatores defendere, et coetera Episcopalia munia visitationes nempe alique id genus de mensae Episcopalis solvis redditibus (uti necesse est) obire, Quae sane expensae non possunt non esse amplissimae cum et amplissimus Sit Episcopatus Quia autem non semper suppetunt fatendum est multa quandoque et salutaria opera Jntermitti nec non multas ac praeclaras Ecclesiae ac Catholicae Fidei tuendae atque amplificendae occasiones praetermitti necessario debuisse nulla cuiusquam Culpa aut alia de causa quam paupertatis Episcopatus. Hoc est alterum Capituli de Ecclesia Constantienti ceu membrorum de corpore aut Capite Testimonium, cui nos etsi res aliunde Episcopatus cognitas non haberemus fidem adhibere deberemus et quia constat pagos opida ac Castella Episcopatus etiam in nostris Finibus sita, Haereticis creditoribus magnopere obligata esse, quae (ut omnes ansas Haeresis facile arripit) ob non solutos annuos Census creditores magistratibus suis faventibus atque etiam auxiliantibus Jnvadere possent, quod ne fiat non modo Relligionis. Sed et Rei Publicae nostrae interest, praecaveri autem nobisque de Jndemnitatem Caveri aliter satis non potest quam si restituta creditoribus sorte capitali, hypothecae eorum Jus bonis ecclesiasticis adhaerens dissolvatur. Cum Episcopales proventus fragiles incertique admodum a Coeli clementia pendeant Census e Contra statim ac fixi sint. Jdcirco ob justissimum huius periculi quotidij ob oculos ver-

santis metum, etsi Episcopus aut Capitulum de Levamento Ecclesiae suae nihil cogitarent omniaque Sursum ac deorsum fieri otiosi spectarent, nos tamen qui Fidei et Reipublicae nostrae ad posterum transmittente merito maximam curam gerimus Ex terminum aut Cleri aut Episcopatus ruinam pati nec possumus nec debemus. Interest enim nostrae Rei Publicae Relligione florere, et (nisi fallimur) non nihil etiam Apostolicae Sedis, ut Episcopatus iste membrum tam nobile Et antiquum Ecclesiae non solum ab Interitu vindicetur sed etiam in pristinum statum reponatur.

Adquod nos utrinque, Maiorum nostrorum Exempla incitant, Habemus enim nos quidem maiores nostros qui adversarios clerum et Relligionem passim exterminare Conatos armis et Sanguine suo compresserunt, qui toties pro Matrice sua Ecclesia apud Sedem Apostolicam praecibus et Litteris suis Intercesserunt. Habet etiam Sanctitas Vestra Antecessores suos multos et ex his aliquos Supra commemoratos qui miserias Constantiensis Ecclesiae Cordi habuerunt varijsque modis etiam cum sua Jactura (ut de Annatis diximus) nullius expectata supplicatione motu proprio sublevare studuerunt Quod ad nos Attinet vestigijs patrum nostrorum insistere Et si res poscat etiam sanguinem pro Ecclesia profundere parati sumus In coeteris opitulabimur pro eo ac poterimus et nequid ad testandam nostram voluntatem desit Constituimus nostrorum Maiorum exemplo apud Sanctitatem Vestram pro Constantiensi Ecclesia deprecationem, sperantes eandam fidem et pondus quod nationis nostrae deprecatio apud coeteros Laudatissimos Pontifices habuit etiam apud Sanctitatem Vestram habituram In causa tam iusta et ad Dei honorem potissimum tendente. Idem enim est Episcopatus cui et Natio nostra officium hoc Impendit, et Sedes Apostolica opem tulit, conditio ejus paupertas necessitas debitorum causa eadem nisi quod ut supra scriptum pecuniae aucto valore et adversarijs Invalentibus quotidie, malum praesentius morae periculum maius, Et remedium magis maturandum, de modis ac medijs Juvandi nihil praescribimus ut qui id persuasum habeamus Sanctitatem Vestram dummodo preces nostras exaudire et Episcopatus vulnera paternis oculis respicere velit ex copiosissimo gratiae et Potestatis Apostolicae Thesauro in singula poene momenta depromere possit quod et nos solari et Episcopatum sublevare possit, aut si nunc eiusmodi nil supetat, satis tamen erit et ad Leniendum nostrum desiderium et ad Recreandum spe Episcopatum Si Sanctitas Vestra ostendat proxima occasione se offerente aut a nobis significanda se supplicationis nostrae et urgentis necessitatis Jmmemorem non futurum. Sane enim eas ad angustias redactae Sunt res nostrae Ecclesiae ut si negligantur postea nominus ac de vicinis Curiensi, Sedunensi Lausannensi res Coquitur, serum futurum sit Remedium. Nos quidem nostro officio satisfacere voluimus ac debuimus, ne a posteris culpa Interirentis Episcopatus in nos Conferatur, Cuius conservati Laudem iam oblatam, Si Sanctitas Vestra

respuat, deplorabimus, nos quidem miseram nostrae Ecclesiae sortem, posterius magis etiam Sentient periclitante. Republica civili simul ac Ecclesiastica quod tamen ut Deus per Vicarium suum avertat, oramus: et ad Sanctitatis vestrae pedes advoluti quam possumus vehementissime Et humillime oramus ut velit Ecclesiam matrem nostram, Et nos Commendatos habere. Praemium Deus retribuet et nos gratitudinis pignus damus Fidem atque observantiam Sedi Apostolicae Immortalem.

Sanctitatis Vestrae Devotissimi et humilissimi Servj ac filij

[gez.] Schultetij [Land-]Ammanj [bzw. Ammann] & Consularij Quinque Cantonum Catholicorum Lucernae, Uraniae, Suity Subsylvaniae Tugy."

- 1) Die in vorliegendem Schreiben behandelten Themen wurden an der Tagsatzung der V kath. Orte vom 4. Dezember 1616 in Baden sowie an jener der VII kath. Orte vom 20./21. Februar 1617 in Luzern behandelt, s. EA V 1, 1269 (Nr. 940) spez. 1269 a bzw. 1274 (Nr. 944) spez. 1275 c. An beiden Tagsatzungen war Stadt und Amt Zug u.a. auch durch **Konrad III.** Zurlauben vertreten.
- 2) s. Helvetia Sacra I/2, 368
- 3) s. ebenda 373
- 4) s. ebenda 390f.
- 5) Weza besass zwar seit 1522 die Anwartschaft auf das Erzbistum, jedoch scheiterten alle seine Bemühungen, auch faktisch zu diesem Amt zu gelangen, s. ebenda 392f.
- 6) s. ebenda 395
- 7) Das voranstehende Wort kann nicht mehr eindeutig gelesen werden.

Kopie - AH 145, 146-153, 156-159

145/62

1621 November 18.

A

ANSPRACHE [EINES VERTRETERS DER OBÖDIENZGESANDTSCHAFT DER KATH. ORTE VOR PAPST GREGOR XV.]¹

"Ad Gregorium 15um Oratio die 18 ... [November] 1621 Pro Helvetij Oratoribus":

"Vellet ipsa per se, si potest, perpetua Romanae Religionis, ac fidei cultrix Helvetia tuum in Conspectum hodierna luce se dare venerabundam Beatiss.^e Pater. Videns perfecto in amplissimae Provinciae cultu spirantem erga hoc augustissimum solium ac nominatim erga te qui nuper illud, et voluntate Caelestium, et suffragatione mortalium occupasti, ardorem, ac studium singulare. Audires ex ore nobilis Regionis expressos illustribus verbis versus, quos de huius Imperij amplitudine, de Romanae fidei integritate de Pontificum autoritate animo consignavit. Intelligeres quo plausu illum exoptatum nuncium tandem exceperit, qui te ad hunc honoris apicem summa purpurati Ordinis conspiratione sublatum emulgavit. Has inquam, aliasque signi-